ANTONII POLI VENETI,

Digreſsio de Circulo Lacteo, in defenſionem Ariſtotelis.

Aduerſus omnes Peripateticos.

CVM PRIVILEGIO.





VENETIIS,

Apud Simonem Galignanum de Karera.

M. D. LXXVIII.






REVE.MI P. FRIS NICO
LAI RODVLPHY SAC
ET APOST
OLICI PA
LATY
MAGISTRI ORDINIS PRÆ
DICATORVM
ANNO 1623
SOCIVS
ALIS ET
GENER
NVS PRÆDICATOR
BISCIO
FR ANDREAS



Ad Felicem Ferettum de Montealto, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem.


Antonius Polus Venetus.




ON licebat unquam Peripateticis, Illustrissime ac Reuerẽdissime Pater, in rebus arduis, dubijs, & difficillimis, Præceptorem suum deserere, calum-

ni are, & reprehēdere: melius equidem erat potius de ipſo tacere, quàm malè loqui. Ego verò, qui ſummos illos philoſophos rationales, quos veneranda uetuſtas ſemper magnifecit, honorare ſoleo, & defendere: ideò pro Ariſtotele pugnam contra omnes ſuſcepi; non ut alios reijcerem, ſed ut ueritatem ab alijs obtenebratam, in lucem depromerem. Meas igitur lucubrationes, ſapientiſsime vir, benignè accipies, & dum otio vacabis, libenter perleges, & uti bonorum amicus, virtutis amator, & ueritatis defenſor, meam ſemper ſuſcipies defenſionem, & meæ erga te obſeruantiæ memor eris. Vale.

Digreſsio



Digreſsio de Circulo Lacteo, In defenſionem Ariſtotelis.





OSTQVAM Ariſtoteles de cauſis remotis,& proximis rerum naturalium loquutus eſt,de materia ſcilicet, & forma prima,ac de elementis: ſimiliter de primo Motore, atque de cœlo volens incipere loqui de illis, quæ ex iſtis generantur, ſtatim duo proponit principia: ex quibus tam metheorologica, quàm quæ intra terram ſunt,

Demõſtra tur ꝓceſſus Ariſt. in reb. tractandis.

ſunt,generantur,ſcilicet vaporem,& exh alationem . quæ cum ab ipſo firmata ſint,& ab omnibus expoſitorib. comprobata,tanquam nota , & manifeſta , ipſa relinquemus , cum non ſint præſentis ſpeculationis de ipſis verba facere : ſufficit tantum pro nunc , quod ſupponantur . Cum igitur ex iſtis duobus principiis generentur omnia metheorologica,tanquam ex materia,neceſſarium eſt,ſi limites propoſiti ſui tranſcendere non vult,cum loquatur Ariſto.in libris meth.de Galaxia tanquam de vna ſpecie, quæ ſub vniuerſali genere metheorologicorũ continetur, q̃d ex uno iſtorum principiorum generetur : ſicut etiam manifeſte oſtendit . Inconueniens eſſet,vt ipſe doceret,quod ex ſuis principiis non eſſet, & quod ad illud conſtituendum,eſſent alia principia ponenda , & tanquam diminutus eſſet taxandus. Nonnè Ariſto.in Cap.de Lacte,refutat duas pythagoricorum opiniones,& duas ſtoicorum,vltimo proponens ſuam tanquam veram ? volunt igitur inconſiderati expoſitores , quod Ariſtoteles præponat opinionem vnam falſam rationibus,& rebus demonſtrabilibus ? Nunquam Ariſto. voluit propter propriam opinionem,veritatem occultare, ſed ſemper reprehendens antiquos,ſi in aliqua parte attigerunt veritatem,ipſos laudat, dicens in hac parte bene dixerunt,& in alia male, ſicut in tota ſua philoſophia manifeſte apparet : volunt ergo, quod Ariſto.ſine ratione, & cauſa redarguat quatuor opiniones,forſan quod ipſe tanquam in rerum natura exemplar ignorabat,vnde oriebãtur vapores , & exhalationes , & in quo loco,& quomodo . fuit ſapientiſsimus philoſophus,& cuiuſcunque rei diligens, ac ſubtiliſsimus inueſtigator ; & ſemper res tractauit cum ſuis principiis , cauſis, paſsionibus,atque proprietatibus. ideò inſurgere contra tãtum philoſophum,& ipſum impugnare , abſurdum eſt, & temerarium,quaſi quod ipſe non recte poſuerit principia metheorologica , & quod defuerit in Galaxia . abſit. Malè ergo Damaſcius,Philoponus,Olimpiodorus & cœteri Græci cum Auerroe , & Latinis patrem ſcientiarum

Per multas rõnes, deductiones, authoritates , & per inconuenientia demõſtratur quomodo Galaxia neceſſario det ex principiis metheorologicis generari.

Ariſt.

Arist. damnauerunt. Inscienter ergo Olympiodo. dicit hoc in loco magis in culpa, magisque damnandus est accusator, quàm reus. omnes enim lacteam viam in cęlo esse uolunt. solus vero Arist. male rem tractans, in äere ipsam defendit, & pugnat. sed pro Aristo. dubitari potest, neque ipsum de uia lactea aperte pronuntiare; quandoquidem dicit, tamen ita existimare probabile est. hoc autem ambigue profertur. hoc Olympio. Sed quomodo hoc potest sentire Arist. Nam in principio dicit. *Sed iam doceamus quomodo, & qua de causa lac exoriatur, & quidnam ipsum sit. Sed prius quæ ab Antiquis tradita sunt, ostendemus.* Nonnè semper Arist. scientifice procedens, cum in aliqua re ab ipso proponenda fuerunt multæ opiniones, semper ipsas refellit: sic in lib. phis. in lib. de Anima, & in tota sua philosophia procedit, deinde suam proponit? Sed dicere *quomodo, & qua de causa, & quidnam sit*, nonne est ostendere, ipsum velle docere causas intrinsecas, & extrinsecas ipsius lactis? Nonne dicere *quidnam sit* significat rem ipsam per propriam formam definire? & dicere *quomodo, & qua de causa* nonne indicat, causam materialem, & effectiuam, vt uidebimus? Si ergo proponit hęc docere, quare vultis dubitatiue ipsum loqui? quare vultis ipsum proponere causas falsas, & non proprias? O stulti, & insani commentatores, qui vultis, quod Aristo. sit immemor suorum principiorum: quod ponat inter species corruptibiles, speciem incorruptibilem; quod transcendat de genere in genus, tractans in lib. meth. quæ in lib. de cęlo tractari debent: vultis, quod professor, & inuentor logicæ facultatis, ponat speciem unius generis sub alio genere; hæc essent monstra scientifica, & ridicula. Nonne scitis, quod propter Excellentiam appellatus fuit philosophus? Nonne manifestũ est, quod quando in circulis dicunt disputãtes. sic ait philosophus; quod statim tali authoritati standum est? & quare hoc? nisi quia rationabilis fuit, & nihil scripsit, quod non ratione conuenienti, & rei tractandæ necessaria probauerit. ideo quia omnia secundum rationem approbauit, ideo in rebus philoso-

Reiicitur Olympiodorus.

Expositio verborum Arist. vera

Stultitia comẽtatorum redarguentium aristotelẽ.

Quare per excellentiã Aristo. Philosophus appellatus fuit.

philosophicis creditur ab omnibus.& tantum valet dicere,ait philosophus, quantum dicere ait ratio. Nos verò cum simus rationabiles, debemus,nisi ipsa ratione abuti velimus,ex necessitate illi obedire.Si ergo in omnibus rebus naturalib. rationabilis fuit,quare vultis,quod de Galaxia tractet absque ratione reddenda, & eius causa declaranda? Quædam igitur in defensionem suam proponemus,non pro fama acquirenda,quam alij affectant, neq; pro gloria danda Aristoteli,cum tali ipse non egeat:sed illuminandi gratia, cum veritate sensus Aristo. ab aliis extortos,& non intellectos.Et si cõtra me insurgent aliqui, non mirabuntur sapientes: quoniam etiam contra philosophum grauissimi philosophi insurrexerunt. Pro comperto iam habeo,quod multi ita audaces sunt,quod multoties tanquam ignari artium, & scientiarum de rebus Theologicis, atque philosophicis iudicium facere volũt, proferre suam opinionem, & aliquando sua temeritate optimos scriptores emendare,taxare,ac uilipẽdere; si isti insurgent,quoniam tales tãquam imperfectissimi habentur,nullam curam de ipsis habebimus. Si verò alij defensores Græcorum, Arabum, & Latinorum conclamabũt, prius scripta nostra principiis Aristo. & veritati consona inspiciant,antequam ambitione, uanagloria, & inuidia suam proferant sententiam,ne in aliorum opiniones falsas,& ineptias solitas, & manifestas incurrant.

Propositũ authoris cum honesta excusatione, protestatione & petitione.

Incipientes igitur dicimus, quod uolens Aristo. loqui de impressionibus ignitis, cum quædã essent breuis temporis,vt Capræ,stipites,& stellæ currẽtes: & quædam longioris temporis vt Cometæ,& lacteus circulus, vt a notioribus nobis inciperet,primo de illis tractauit, deinde de istis,& prius de Cometa,quàm de Galaxia, cum Cometa habeat causas magis sensui, & nobis manifestas, quàm Galaxia. semper enim a notioribus nobis incipiens, deducit nos in cognitionem rerum,& sic non vt Olymp. cũ Vicomercato, & aliis prius agit de illis impressionibus ignitis,quia sunt breuis temporis,& paucæ durationis; & postea

Quare Aristo. prius de impressionib. breuis temporis,& deinde prius de cometa q̃ de Galaxia tractauerit, q̃ sunt lõgioris tẽporis cum redargutione Olymp. Vicomercati, & aliorum.

postea de circulo lacteo, quia est longioris temporis. sed quia, vt dixi, illæ sunt notiores nobis, & facilioris cognitionis, Arist. igitur uolens stabilire ueritatem circa Galaxiam, cum multæ essent Antiquorum opiniones, primò præmittit opiniones falsas, & illas reprobat. quibus reprobatis, deinde suam veram, & propriam proponit.

Ponit opinionem illorum, qui dicebant, quod circulus est semita quædam in cęlo habens quandam albedinem, quæ semita est facta ex expulsione Phætontis, idest facta exaduſtione a Sole in cœlo, vt patet de fabula Phœtontis, quæ est, quod Phæton ex Sole, & Climene satus, a patre currus regendos precibus sibi impetrauit; persuasus est, dedit, incendit currum, temere rexit, curru immissis habenis, incendium fecit, atque ille exustus locus, posthac lactea semita cognominatus. Deinde ponit opinionem illorum Pythagoricorum, qui dicebant, quod iste circulus Lacteus est via seu semita in cœlo derelicta, ex exustione, quæ fuit in via Solis, & in semita Solis; quia aliquando Sol cucurrit per illam viam, & in decursu temporis fecit illā exustionem. & hæc erat via antiqua, quia modo currit per eclipticam sub Zodiaco. Hanc impugnat Arist. quoniam signiferum etiam circulum, lacteā viam magis esse oporteret, quando per ipsum Sol continuis itineribus incedit. absurda dictu res est, sedem, & locum mutasse Solem. & ex hac vltima ratione habetur repulsio primæ opinionis. quoniam absurdum est locum mutasse vnquam Solem, contra determinata in lib de cœlo, & obseruata per multa sœcula ab Antiquis, & Aegyptijs. & sic non vt Olymp. primam opinionem velut fabulosam relinquit. Sed quoniam eandem rationem debebat in refutatione secundæ opinionis ponere: ideo studuit breuitati, & noluit in superfluis abundare. & quamuis sit amator veritatis, debebat illam opinionem ponere, & recitare, quamuis sit figmentum Poetarum. quoniā hoc pertinet ad bonum scientificum. quoniam qui uult stabilire vnam veritatem, oportet, vt aliorum opiniones

Opinio quorundā pythagoricorum de Galaxia.

Alia opinio.

Impugnātur prædictæ opiniones ab Arsto.

Reiicitur Olymp.

falsas recitando, respuat prius, ne diminutus videatur, cũ fabulæ apud ignaros aliquando credantur, ideò rectè ipsam posuit. Præterea erat alia Anaxagoræ, & Democriti opinio. ij namq; eorum syderum, quæ a Sole lucẽ non habent, naturale, & peculiare lumen lacteam viam esse censent. quæcunq; igitur non habent, neque recipiunt lumen a Sole, illa circulum lacteum efficiunt, secundum istos. hanc autem rationibus impugnat. primò, quoniam lacteus circulus, eundem locum, & situm habere conspicitur. sed Sol ab ijsdem syderibus, non eodem semper distat interuallo. Secundo, quoniam sydera cuncta suo lumine illustrat, ergo lacteam viam. Tertio, si conus umbræ terræ non præcurrit, neq; attingit ad vsque Solis sphæram, ægre.n. ad Mercurij sphæram pertinet vmbræ conus, neque ipsum opacat; Solem autem, & lacteam viam nunquam obscurari videmus &c. vide quomodo Arist. refutat ad plenum hanc sententiam. Vltima opinio, quam ponit Aristote. est Hippocratis Chij. Is lacteam viam ex repercussu ad Solem fieri dicit, non simili tamen repercussu, qualem in comete fieri dicitur: sed qui ab astris fiat. Fertur itaque, inquit, aspectus oculorum ad sydera, a quibus deinde ad Solem reuerberatur, atq; ita postea ad nos refertur. quam opinionem duobus argumentis confutat. Primum sumit ex perspectiua. Nam si id, quod videt, idest oculus, & speculum, in quo videtur, & res quæ videtur, immota constiterint, eandem rei quę cernitur imaginis partem, in eodem speculi puncto apparere. Si autem speculum, & res, quæ in eo cernitur, oculo immoto moueantur, ita tamen, vt vtrumq; ab oculo quidem, eodem semper, inter se verò alio, & alio interuallo distent, æque celeriter non motu, fieri non posse, vt in eodem speculi puncto eadem imaginis pars appareat. Secundum sumit ex Astrologia, vel ex ea phisicæ parte, quæ sydera considerat. cum stellas, quæ in Lacteo sunt orbe, nobis stantibus similiter moueri: ita vt æquo interuallo a nobis, inter se autem non æquo semper distent. quando

quidem

Opi. Anaxagorę, & Democriti de Galaxia.

Impugnatur tribus rónibus.

Opi. Hyppocratis Chii.

Impugnatur duob. argumẽtis

Primũ ex perspectiua.

Secũdum ex Astrologia.

quidem inter cœtera Delphini sydus interdum nocte media a Sole distans, interdum ante lucem illi propinquior exoriatur. His ex perspectiua,& Astrologia sumptis colligit. Si Lacteus orbis ex aspectus nostri a stellis ad Solem repercussu excitaretur,futurum, vt in eadem stellarum earum parte,eadem imaginis,quæ apparet, pars, non semper appareret; in eadem autem semper apparere, nec vllo modo variari. Ex reflexione igitur illa,lacteum orbem non existere. Præter supradictas opiniones,quas Arist. posuit,fuerunt etiam aliæ. Nam Eratosthenes ait, Iunonem insciam,Mercurio infanti Lac dedisse. sed postquã Maiæ filium esse rescierit, eum a se reiecisse. ita lactis profusi splendorem inter sydera apparuisse. Alij finxerunt, dormienti Iunoni, Herculem suppositum fuisse, & experrectum,idem quod nunc de Mercurio dictum est,fecisse. Alij rursus Herculem propter nimiam cupiditatem,multitudinem lactis appetiuisse,nec in ore continere potuisse; idque ex ore profusum, circulum signasse. Alij Saturnum,cum lapidem ei pro parto ups attulisset, iussisse ei lac præbere: quæ cum præesisset mammam, profuso lacte circulum formatum fuisse. Quidam aiunt, Theophrastum dixisse, orbem hunc quandam duorum hemisphæriorum compagem esse, quandoquidem ex duobus hemisphærijs cœli sphæra fuerit consolidata. Qua igitur hemisphæria illa copulantur, & in vnam sphæram coagmentantur, claritatem videri. Diodorus voluit ignem esse densæ,& concretæ naturę in vnam curui limitis semitam concretum,discretione mundanę fabricę coaceruante; ideoq; aspectum intuentis admittere,reliquo igne cęlesti lucem suam,nimia subtilitate diffusam, abscondente. Posidonius idem dicit,scilicet hanc esse ex igne seu calore sydereo constitutionem,ut uidelicet ea illum cœli partem frigidissimam temperaret, assignauit. Empedotimus ait, viam esse, qua animæ ex inferno ad cœlũ conscendunt,& per quam inambulant. quam vt fabulosam, & vanam Damascius multis rationibus refutauit.

Opi. Eratosthenis de lacte.

Alia opin.

Alia opin.

Alia opin.

Opinio Theophrasti secundũ quosdã de Galaxia.

Opi. Diodori.

Opi. Posidonii.

Opi. Empedotimi.

Opi. aliorum. Alij non longè diuersum sentientes, aiunt virorum fortium, & magnanimorum, iustorumque animas in orbe illo habitare. Quæ omnes opiniones, cum sint vt iacent, partim nimis fabulosæ, & non sit præsentis speculationis antiquorum fabulas in verum sensum trahere, ac declarare, & partem nimis a causa naturali, & rei veritati longinquæ, ipsas relinquemus, cum iam in redargutione opinionum illorum, qui Aristo. calumniarunt, satis demonstrauerimus, omnes sententias corruere, & solam suam esse veram, suisq; principijs, & naturæ rei conuenientē.

Quare prædictæ opiniones nō impugnātur.

Per conuenientiā, & disconueniētiam venatur Arist. naturā Galaxię.

Arist. igitur volens declarare naturam Galaxiæ, cum habeat similitudinem cum cometa, cum ex eadem materia ambæ fiant per conuenientiam, & disconuenientiam vtriusque, venatur eius naturam; sicut fecit de intellectu posibili in tertio de anima. quem descripsit postquam ostendit similitudinem, & dissimilitudinem eius cum sensu. Dicit igitur, quod eodem modo generatur circulus lacteus, sicut cometes. Nam sicut vnum astrorum potest attrahere exhalationem calidam, & siccam, & causare cometen: ita plures Stellæ firmamenti possunt attrahere ad supremam regionem, multam exhalationem calidam, & siccam, & causare uiam quandam in sereno, quæ dicitur Galaxia, quasi lactea. quia est ueluti nubecula clara, & rara. & dicitur circulus lacteus a Græcis, gala, quod sonat lac, ab apparentia sua, ab alijs dicitur communis uia. Antiqui verò viam regiam cœli, per quam iter ad domum altitonantis Iouis erat. A vulgo dicitur denique via sancti Iacobi, per quam fabulantur defunctorum animas ad sanctum Iacobum tendere in Galitiam. sed hæc dimittimus vulgaribus. Veniamus ad rem nostrā. dicimus, quod principium huius circuli est, a signo Geminorum, & tendit ad signum Sagittarij. Deinde in alia medietate inferiori, reuertitur a signo Sagittarij, ad signum Geminorum: ita quod cōplet circulum. Cuius circuli Ari. dat exēplum, dicens, quod ita est de circulo sicut, est de Area generata circa Solē, aut Lunam, q̄ generanť ex uapore attracto sub Sole,

Similitudo cometę, & Galaxię.

Quare dicitur Galaxia.

Quid signi ficat apud græcos circulus lacteus.

Quot nominib. ab Antiqs galaxia appellari solet.

Descriptio longitudinis lactis.

le, aut sub luna. Ex quo uapore attracto, & circũducto motu eorũ. i. Solis, & lunæ, apparet nobis hæc species impressionis, q̃ dr̃. Area. ita ẽt dicit Arist. generatur coma pluriũ astrorum firmamenti, quæ dicitur circulus lacteus. quia sicut cometes est coma vnius astri tantum, ita iste circulus lacteus, est coma totius cœli: idest plurium astrorum firmamenti, quæ plura astra attrahunt exhalationem calidam, & siccam, ex qua postea generatur albedo illa rara, & dispersa per totum illum circulum, sicut nobis apparet.

Postquàm vidimus cum Aristo. conuenientiam lactei circuli cum Cometa: necessarium erit, pro completa declaratione ipsius naturæ, ostendere earum differentiam. Differt lacteus circulus a Cometa. primo, quia ille perpetuo durat, hęc verò non. secundò differunt situ, quatenus Cometa est circa vnam stellam, lac circa totum illum circulum, quem sporadeum uocant. Tertio, quia cometa nonnunquam rubet, lac semper albicat. Cum ergo per ea, quæ diximus, Circulus lacteus fit coma perpetua magni circuli, albicans in firmamento, facta ex exhalatione calida, & sicca: ergo materia proxima eius erit exhalatio calida & sicca, efficiens uirtus plurium stellarum in firmamento positarum, quæ attrahunt prædictam exhalationem. locus uerò suprema aeris Regio; Forma perpetua albedo magni circuli. Sicq; est passio causata in suprema parte aeris, per virtutem plurium stellarum, quæ in directo illius partis sunt, quę via lactea semper uidetur in uno loco, quoniam stellæ, quibus ipsa applicatur, nunquàm mouentur. & hæc quæ diximus Aristote. confirmat, dicens: si unum sydus potest tantum exhalationis eleuare, ut fiat crinita; igitur plures stellæ id possunt, & maius. & quod motione tot syderum fulgentium exhalatio cogi possit, & coacta, atque concreta accendi, quod hæc sit causa circuli lactei, argumento id esse docet; quod in ea parte duplicatus uideatur, in qua sydera frequentiora, & maxima sunt. quod quidem in toto semicirculo cõspicitur;

Differẽtia comatæ a lacteo circulo.

Quæ sit materia quid efficiẽs, qs locus, & q̃ forma ipsius Galaxiæ.

tur; ut uerisimile sit, ea in parte plus exhalationis concrescere, flammamque concipere, qua plura, & fulgentiora sydera mouentur. Item lac ijsdem causis generatur, quibus, & crinitæ. ergo sunt eiusdem speciei. Auerroes, postquam argumento forti demonstrauit Galaxiam non esse aliquam partem cœli, deinde methodo diuisiua inuenit genus, & materiam suam, & argumentatur sic probans; quod sit passio aerea, & per consequens exhalatio calida, & sicca. Galaxia non est sphæricæ figuræ, sed obliquæ: ergo non est stella, nec etiam est pars non stellata cœli, quia pars non stellata non lucet. ergo sequitur, quod non sit pars cœli. si non est pars cœli, ergo passio mundi inferioris. ergo alicuius elementi erit pars, & passio. & circulus lacteus est per se uisibilis; ergo pars elementi non aquæ, non terræ: quia sit in loco altiori, ergo in igne, uel in aere. non in igne, quia probatum est, quod ibi non fiunt istæ impressiones, ergo relinquitur, quod fiant in sublimi. ergo genus remotum eius est passio elementaris; proximum caliditas, & siccitas attracta, circumducta, & ignita, ex qua fit coma illarum stellarum. Ideò benè Arist. tria de Lacteo circulo disputanda proponit, dicens, sed iam doceamus, *Quomodo, & qua de causa lac exoriatur*, & *quidnam ipsum sit*, tangens in his verbis causam efficientem, materialem, & formalem. Cum dicit, *quomodo*, tangit causam efficientem. Cum dicit, *qua de causa*, tangit materiam, idest de qua materia fit. quando dicit, *quidnam ipsum sit*, tangit formã, per quã distinguitur a coma, & cæteris impressionibus ignitis. Vnde si in vnum rediret hæc tria, ut innuit Frãciscus Vicomercatus, confusè loquutus fuisset Arist. & diminutus esset. quia quando dicit, *quid lac sit*, non intelligit, ut ipse definitionem complectens vtrunque, sed formam tantum, quæ propriè per prædicatum quid explicatur, quoniam forma est illa tantum, quę quid rei explicat, & artificio Arist. proposuit causam efficientem. quoniam si naturam Galaxiæ debebat per conuenientiam, & discõuenientiam eius cum cometa declarare, & ambo simul com-

Auer. methodo diuisiua inuenit genus Galaxiæ.

Applicatio supradictorũ ad uerba Aristo. in text. posita.

Reiicitur Vicomer- in expositione text.

Quare Ar. prius cãm efficiẽtem Galaxię ꝓposuit.

comparare, neceſſarium erat loqui de cauſa efficiente, cũ coma fiat a virtute unius aſtri, & Lacteus circulus a pluriũ ſtellarum virtute. ideo de cauſa efficiente prius loquutus eſt, tanquam de cauſa notiori. cum iam in principio tanquam principium ſuppoſitum poſuerit omnes impreſsiones fieri a vi, & uirtute motuum cœleſtium, & mundum inferiorem ſuperiori eſſe applicatum: ideò, ut a notioribus nobis inciperet, tetigit cauſam efficientem prius: deinde materialem, poſtea formalem. Vnde etiam vana eſt definitio Auerrois dicentis, quod tacuit principium formale, & poſuerit materiale. quoniam de omnibus cauſis, ut vidimus, loquitur. vult enim ipſe Auer. quod Ariſtot. qui profitetur res pecurrere per illas cauſas, quas habet, nũc in hac materia tanquam diminutus, & irreſolutus, imperfectè loquatur, tacens cauſam intrinſecam Galaxiæ: ſemper enim bonus ſcientificus, cum aliquam definitionem, & naturam alicuius rei definire, & deſcribere vult, primò inuenit genus, & per genus differentiam, quæ ſunt cauſæ intrinſecæ: deinde de extrinſecis, & vltimo de paſsionibus eius tractat, ſic paſsim fecit Ariſto. in omnibus rebus pertractandis. ſed hic, quoniam cauſa efficiens extrinſeca erat a principio ſuppoſita, & declarata, ideò in principio, repetens quaſi per viam Epilogi, quę ſuperius dixerat, ipſam poſuit, vt a cometa lacteum circulum ſecerneret, vt diximus. & deinde de cauſa materiali, & vltimo de propria forma, & eius quidditate dicit ſe loqui, & tractare propoſuit. Dicamus ergo in ſumma, quod Galaxia eſt exhalatio calida, & ſicca maximi circuli perpetua albicans in ſuprema regione aeris, poſita a virtute plurium ſtellarũ, quæ in directo illius partis ſunt attractæ. Quando dicitur eſſe exhalationem calidam, & ſiccã, excluduntur impreſſiones, quæ ex vapore fiunt, & opiniones illorum, qui voluerunt eſſe Lumen diffuſum, & protenſum ex radijs plurimarum ſtellarum, ſe mutuo fermè tangentium, in denſioribus octauæ ſpheræ, ſicut colligitur ab Albert. in primo lib. tract. 2. cap. 5. Vnde malè Chryſoſtomus Iauellus dixit,

Reiicitur Auerr. qui vult Ariſto. tacuiſſe principii formale lactis.

Deſcriptio circuli lactei.

Per genus definitionis reiiciũtur Albe. Iauellus & alii.

dixit, si inueneris in noua translatione in primo lib. Met. cap. 3. Galaxiam esse de materia, ex qua fit cometa, scilicet de vapore igneo terrestri, non sustinebis illam translationem. quoniam reputatur vitiata. Iste doctissimus vir ignorans causas intrinsecas circuli lactei, dicit. Nota, quod in partibus octauæ sphæræ, in quibus apparet Galaxia, est maxima multitudo stellarum, adeo paruæ, quod non uidentur, quædam uisu notabiles. huiusmodi stellæ adeò propinquæ sunt adinuicem, quod quasi se tangunt. & cum sint lucidæ, emittunt radios, qui se adinuicem refranguntur. & ex tali refractione causant circulum album veluti summum, qui latinè dicitur lacteus, quia videtur vt lac sparsum in superficie concaua octauæ sphæræ. hæc est opinio, dicit Iauellus, de Galaxia Arist. secundum antiquam translationem, quam & Albert. sequitur. & sic nesciens dubitationes soluere incurrit in deprauationem tex. cũ tex. Arist. clarus sit, & litera manifesta. erit ergo exhalatio calida, & sicca causa materialis, & non difformitas dẽsitatis, & raritatis in partibus octauæ sphere, vt dicit idem Iauellus, qui propter ignorantiam causarũ, loquutus est extra rem, de duplici Galaxia continua scilicet & alia sparsa, & intercisa. Per hanc igitur particulam excluduntur Aratus, & Ptolo. in 8. Almageft. cap. 2. Proclus, & omnes alij astrologi, qui dicunt, quod est passio coelestis, id est pars firmamenti. Per hanc etiam causam materialem excluditur opinio Auerr. dicentis, quod Galaxia erat non passio elementaris scilicet exhalatio calida, & sicca, sed passio apparens, & non existens, sicut Iris, Area, & colores in coelo, & in fouea. quia iste circulus non est, nisi specularis imago, & non est nisi apparentia quædam albedinis lacteæ causatæ ex reflexione, & contusione luminum astrorum cuiusdam partis firmamenti. hæc opinio est contra Arist. qui dicit, quod ex eadem materia fit cometa, & Galaxia. sed Cometa fit ex exhalatione calida, & sicca. sed exhalatio calida, & sicca est uera, & non apparens, ergo illa impressio non est passio omnino apparens.

Per idem genus excludunt Aratus, Pro lo. Procl. & ceteri Astrologi q partem firmamenti Galaxiã fecerunt. Similiter reiicitur Auerr.

apparens. Præterea dicit ipſe, quod eſt Galaxia inuariabilis, & æterna, ergo non apparens, ſed vera. Præterea contra Auerr. hoc lumen reflexum, quod cauſat hanc apparitionem, aut eſt lumen ignis elementaris, aut lumen aſtrorum firmamenti, aut lumen exhalationis. Non lumẽ elementaris ignis, quia ignis elementaris ſua ſimplicitate non lucet, & ſua raritate, quia valde rarus eſt. & ideò nõ lucet. aut ſi lucet, illa lux non attingit ad viſum noſtrum, ſicuti pars diaphana cœli propter ſui raritatem. Si lumen aſtrorum, vel videtur radio recto a nobis, vel infracto. & ſi in fracto, vel perpendiculariter, vel radio reflexo. Sed nullo modo poteſt dici, vt patet. ergo nõ erit lumen aſtrorum, de neceſsitate ergo erit lumen exhalationis calidæ, & ſiccæ, quia cum talis exhalatio ad talem locum peruenerit, vt poſsit inflammari pondere, craſsitie, & frigore liberabitur. ſi ergo non erit nec craſſa, nec frigore condenſata, ergo erit lucida tranſparens. Et per hanc cauſam materialem etiam reprobatur chimera Iacobi Fabri a Ludouico Buccaferreo reprobata, qui dicit in ſua Parafraſi, qđ duplex eſt circulus lacteus, unus, qui eſt in firmamento. & hic eſt paſsio cœleſtis, quia eſt inuariabilis, & æternus. & de iſto non loquitur, dicit ipſe, Ariſtoteles, ſed aſtronomi. alius lacteus eſt elementaris, quæ eſt tanquam coma illius, qui eſt paſsio cœleſtis. & iſte generatur ex iſta ſicca exhalatione attracta, circumducta, & ignita, prout dicit Ariſtot. quia Ariſtot. intendit pertractare de impreſsionibus ignis. Iſte vir neſciens ſaluare perpetuitatem in exhalatione, dilaniauit intentionem Ariſt. qui expreſſe per hanc differentiam ſeparat cometen a Galaxia. quoniam Galaxia perpetua eſt, & coma eſt parui temporis, ergo ratione perpetuitatis non eſt ponenda alia Galaxia, & multiplicare entia abſque neceſsitate; cum nõ implicet contradictionem eſſe ex exhalatione calida, & ſicca, & eſſe perpetuam, cum hoc ipſe expreſſe fateatur; & videbimus ita eſſe. Vnde malè Vicomercatus inſurgit contra Ariſt. dicens, Ariſtoteles refutatis opinionibus Antiquorum, pro-

Argumenta contra Auerr.

Per eandẽ cauſam materialẽ reprobatur Iacob. Faber.

Reiicitur Vicomercat tanquã malè inſurgẽs contra Ariſto.

propriam exponit,illam quidē (vt uerum fatear) cū eius principijs consentientem,sed tamen non satis firmam,& magis quàm aliquas alias dubiam, ne dicam falsam, & a vero prorsus alienam.Ecce quomodo iste vir literas Græcas callens,iam videt,quod sermo de Galaxia ab Aris.tra ditus,consentit suis principijs. sed quoniam non aduertit,quæ aduertenda sunt,& quæ ipse proposuit: vbi incipit velle tractare de cometis,ideò cecidit cum alijs cōtra tantum philosophum in hæresim,transcendens etiam ser monem Arist.cum loquitur de Imaginibus cœli,& dinu merat ipsas,secūdum propria nomina. hoc est superfluū, & alterius speculationis. Iam de numero stellarum, de situ earum, & de nominibus istius circuli Ptolo. libro 8. Magnæ compositionis,complura scribit. Ea ergo tantum debemus tractare, quæ ad cognitionem perfectam Galaxiæ conferunt; ideò benè considerans hoc Arist. dicit in textu.Cum sporades hæ manifestum in cœlo situm nō habeant,in sphæra ait non adeò licere eas ordinare, atque describere,veluti alias imaginibus distinctas; sed spectare cœlum oportere,& earum multitudinem,quæ in orbe lacteo maxime cernitur,considerare. Non spectat, dicit philosophus,in hoc loco considerare imagines,& nomina earum scire; sed tantum videre multitudinem.quoniā a uirtute talis multitudinis stellarū attrahitur multa exhalatio. In maiorem errorem cecidit Suessanus,transcendens de genere in genus,qui hanc pertractauit materiam in lib.de substantia orbis,& non in lib.meth.nisi expositi ue putans,quod sit in cœlo tanquā in materia; cū tamen debeat tractari,vbi ipsam tractat Arist.in libris metheoro rum,cum sit mixtum imperfectum,& causatum ex exhalatione calida,& sicca. Talis autem volens inuenire omnes causas circuli lactei dicit, quod lactis causæ effectrices sunt circulus sporadeus, vt luminis emissor, & exhalatio attracta,vt illud reflectēs; Materia,& subiectum est ea cœli octaui pars,quæ cum circulo sporadeo coexistit. Nam hæc lucet,hæcq; alba cernitur,& non exhalatio.for ma

Reiicitur Suessanus.

Causæ lactei circuli secūdum Suessanū.

ma eſt albedo illa, quæ luci additur. hæc enim albedo luci ſporadarum additur ex accenſione exhalationis. Dico, quod committit multos errores. quoniam ſtellæ illæ non emittunt lumen. ita quod per illud lumen exhalatio illa appareat alba: quoniam tantum attrahunt illæ ſtellæ, & nihil aliud faciunt. ſed lumen Galaxiæ procedit, ſicut diximus cum Ariſt. quia cum talis exhalatio ad talem locum peruenerit, ut poſsit inflammari, pondere, craſsitie, & frigore liberabitur. Si ergo non erit nec craſſa, nec frigore denſata, ergo erit lucida tranſparens. & ſic ſcitur quare non dat colorem ſtellis, nec offuſcat ſtellas, ut uideri non poſsint. quia non eſt denſa, ſed lucida, & tranſparens. ideò poſſumus videre ſtellas, benè nubes eſt in cauſa, ut non videãtur ſtellæ, quia eſt craſſa, ponderoſa, & frigore concreta. Duo errores Sueſſani circa Galaxiæ cauſas. Quare Galaxia non dat colorẽ ſtellis.

Secundus error Sueſſani eſt, quoniam exhalatio lucet, & non ſtellæ, propter prædictã cauſam. quoniam omne liberum a pondere, craſsitie, & frigore accenſum albicat. quoniam materia pura eſt cauſa diaphaneitatis, & ſic exhalatio non concurrit, ut cauſa efficiens, & lumen reflectens, ſed ut materia. Vnde, quamuis profiteatur defendere Ariſtotelem ab Auer. & alijs, dicens. Auerroes negauit præceptorem, & nos negamus ipſum. quia nec Ariſtotelẽ intellexit, nec ueritatem huiusquæſtionis. Mirum igitur eſt dicit Sueſſanus, cur Auerr. & cæteri Latini Ariſto. tam iniquè accuſent. Melius enim debuiſſent ipſum intelligere. Si quis autem de Ariſtotelis opinione, uel de rei ueritate aliter ſenſerit, rogo ut ſcribat. non enim diſcere meliora recuſabo. vnum non audeo dicere, me videlicet fuiſſe primum inter Latinos, & eos, quos uiderim, qui prouinciam ſumpſerit defendendi Ariſt. propterea aut mihi, aut inuentioni gratiæ ſunt habendæ. hæc de lacte. Dico, quòd nec illi, nec inuentioni gratiæ habendæ ſunt: quoniam non in omni parte tetigit veritatem Galaxiæ, ſicut oſtendimus. Vnde, cum dicta Ariſt. in textu ſint clara, & manifeſta, defendenda eſt ſua ueritas. nec eſt dicendum, Secundus error sueſſani. Reiicitur Sueſſ. qui profitetur ſe ſolum Ariſt. defendiſſe.

Reiicitur Olymp. & Buccaferreus. ut Olympiodorus, quod probabiliter, & ad mentem aliorum de lacte loquitur Aristo. cui adstipulatur Ludouicus Buccaferreus dicens, & de facto aliter defendi non potest, ut videbitis; dico, quod certè, qui dicta sua legere nō vult, & causas Galaxiæ intrinsecas discurrere, quod non poterit Aristotelem defendere. Nec valet dicere, ut Olympio. qui ponderans ly, *rationabile*, dicit, quod Arist dixit rationabile, modestè loquens, quia non dicit se demonstrasse, sed picturaliter ostendisse, & persuasibiliter. & ideo, ut modestè loquatur, dicit, *rōnabile*. Et ego dico, quod dixit rōnabile, ad differentiā sensus. qm̄ non potest hoc percipi sensu, sed bene ratione. & nescio quis docuit Olymp. & alios ipsum sequentes, quod rationabile uelit dicere persuasibiliter. immo dico, quod significat demonstrabiliter. quoniam solus intellectus non ut intellectus, sed ut rationabilis, & discurrens causat demonstrationem. quia, ut intellectus res simplices absque causa discernit, sed ratio per causas comprehendit omnia. Similiter, quādo idem Olymp. & Ioannes Grammaticus ponderant ly, *verisimile*, dicentes, quod dixit, *verisimile*, propter modestiam, & honestatē: quia non dicit, se demonstrasse veram causam, sed dubitabat. & ex istis verbis Ioannes vult colligere tutelam Arist. si potest.

Quid significet rōnabile apud Aristo.

Reiiciunt Olymp. & Io. Gr. circa ly [verisimile.] Dico, quod benè Arist. dixit, *verisimile*, quia verum datur intellectui, verisimile rationi, & apparens verū sensui. & tantum vult dicere verisimile, quantum simile vero. idest ratio comprehēdit, quod simile est intellectui, sed non potest comprehendere verum. ergo verisimile, quia non potest sine discursu apprehendere res sicut intellectus, sed cum discursu. & quia ratio est media inter intellectum, & sensum & potest aliquando vergi ad opinionē, ideo dicitur non vera, sed uerisimilis. Defenditur etiam ex alio verbo Arist. quia dicit. *Atque hæc tantum fere sunt, quæ ad hanc vsque ætatem, ab alijs tradita sunt*, dixit, *ferè*, quia non inuenit ueram causam, & propter hoc dicunt, quod non est incusandus, & ista defensio dicit Buccaferreus, mihi magis placet; quia reuera Aristo. non inuenit veram causam

Reiicitur Buccaferreus circa ly [ferè.]

huius

huius poſitionis. Dico, quod dixit, *ferè*, quia non determinauit veritatem de Galaxia, nec etiam poſuerat ſuam opinionem: ideo ante veritatem rei ſemper ſuſpenſiuè, dubitatiuè, & cum ly ferè, quaſi, & cæteris huiuſmodi loquitur, ut alibi adnotauimus. Vnde expoſitores potius quàm damnare Ariſt. debebant relinquere rem imperfectam, & attribuere difficultatem rei incapacitati ſuæ; quia non eſt credendum talem ac tantum philoſophum, omnia in cōtrarium ab aduerſarijs adducta, non percepiſſe. Inſcienter ergò Vicomercatus, qui publicè Ariſt. declarare profitebatur ipſum damnando reliquit, dicens. Videtur autem id Ariſtoteli, *quanquam ſumma in rerum naturalium cauſis inueniēdis perſpicacitate prædito*, accidiſſe, quod ipſe de Pythagoricis in ſecundo de cœlo teſtatur. illi enim, cum principia quædam ſtatuiſſent, denario numero concluſa, atque omnia ad ea conarentur reducere, multa falſa, & ueluti ſomnia, ut id facerent, proferebant. Non ſecus Ariſto. cum duplicem exhalationem, ueluti eorum omnium, quæ in ſublimi oriuntur, principia induxiſſet. ad eam etiam ea, quæ in ſublimi reuera non fiunt, reduxit, probabiliusque putauit orbem lacteum, ex eiuſmodi exhalatione conſtare, quàm æternum illum, & æterna materia conſtantem fateri. Miror equidem de his uerbis, & quare potius ipſum volunt damnare, quàm defendere. Non ne ſcitis, quod Ariſt. fuit philoſophus rationabilis? & quod ſemper in explicādis rebus a notioribus facilioribusque nobis procedit, ut incognita per nota, & minus nota per notiora, quantum fieri poteſt, nobis ſint manifeſta? ideo cum de Galaxia loqui debebat, cum ſenſu percipi non poterat, rationem cōſcendit, & per ipſam cauſas ſuas inueſtigat, atque nobis proponit. Quare vultis, vos ſenſuales, in rebus rationabilibus per ſenſus uagari, & id tantum approbare, quod ſenſus approbare videtur? oportet enim ad rationem aſcendere, nec in fallacia ſenſuum perſiſtere. quoniam multa ratio comprehendit eſſe vera, quæ ſenſus falſa eſſe diiudicat. Nec etiam dicendum eſt, ut Olymp. quod quando

Reiicitur Vicomercatus.

Ariſt.

Reiicitur Olymp. circa ly [æquum est.] Aristo.dicit, *hanc coniunctissimam esse causam, arbitrari æquum est*, quod dubitet. sed dicit hoc, quia non sensu possunt percipi operationes ipsius Galaxię, sicut aliorũ mixtorum imperfectorum: ideò ratione conspiciuntur. Vnde, cum dicitur, *æquum est*, infertur ratio. nam ratio est causa æquitatis, & iustitię. Vnde propria est loquutio, & propriè loquutus est Arist. cum æquitas sit prædicatum rationi propriũ, & accommodatum. Vnde etiam malè nõ aduertens hoc

Reiicitur Io.Gram. Io.Gramma.de Arist loquutus est, dicens. Aristotelis autẽ phisiologia hoc loco non minus fabulosa complectitur, quam quæ de lacte Iunonis memorantur, cum ipse philosophus ęternam in hypeccaumate passionem fieri, suo decreto constituat. cuius neque primordium fuerit vllum, neque finis vnquam futurus sit. quam rem cuiquã ex elementis accidere non videmus: substantia namque horum elementorum, secundum partes inter ortum, interitumq; versantur, ergo si pars nulla elementorum sine principio, & sine fine est, quomodo lactea via eiuscemodi habet naturam, in exigua præsertim hy peccaumatis parte consistens, maxime si de sententia sua mundus æternus est? Ecce quomodo etiam iste philosophus, nolens limites sensus transcendere, simul cum alijs falsa profert, & Aristotelem inique accusat. Quid ergo dicere debemus in tanta opinionum varietate, in tanta Græcorum, Arabum, atq; Latinorum discordantia, & denique in tanta iuniorum, & neotericorum confusione? Vt veritas hæc non indigeat amplius aliqua defensione, in medium adducemus difficiliora, & principalissima aduersariorum argumẽta, & secundum Aristotelis principia ipsa soluemus. & certò scio, per ea, quæ dicemus, vnusquisque percipiet Philosophum fuisse naturæ Secretarium, & acumine intellectus

Argũ in contrariũ. sui omnia perspexisse; quę secundum rationem possibilia erant perspicere. Incipientes igitur uideo aduersarios, dicentes. Quomodo possibile est, quod talis Galaxia sit ex accensa exhalatione, & per Aristo. non differat a cometa crinita, cum tamen hæc diuersimode appareat: Galaxia

verò

verò semper eodem modo, nec mutatur, ut cometa, quæ nunc videtur rarior, nunc densior, nunc obscurior, nunc clarior, quandoque rotundior, quandoque oblongior, quandoque maior, quandoque minor? Si ergo ex eademmet exhalatione fit, & non differt a crinita: quare hæc mutabilior, Galaxia uerò æterna apparet? Præterea non semper exhalatio in eadem cœli parte apparet, sed Galaxia non desinit, nec mutat situm, nec secundum variā figuram apparet, ergo signum est, quod non est exhalatio calida, & sicca, sed de natura luminis cœlestis causata ex ingenti stellarum multitudine. Si ergo, ut ait etiam Ammonius, lactea uia in nullam alterationem, & uariationem cadit, & semper eodem modo conspicitur per totum orbem, ergo aeris passio nullo modo esse potest: quoniam nulli rei sublunari accidere quidem videtur, ut situm cū syderibus parem habeat, nulla sibi mutatione accedente. Qui fieri enim potest, ut sol accessu suo uel recessu, ne tenuem quidem mutationem uiæ lacteæ duntaxat partibus afferat: sed una atque eadem exhalatio semper & qualitate, & quantitate specieque coloris ipsius circuli parte quaque consistit, & in uno eodemque statu? Insuper, si natura huius circuli lactei esset illa exhalatio: tunc non semper esset vniformis in æstate, & in hyeme; immo maior esset in æstate, & minor in hyeme: & maior in una æstate, quā in alia. Malè ergo secundum aduersarios dixit Arist. quod circulus lacteus sit exhalatio calida, & sicca attracta a lumine plurium stellarum circūducta, & ignita, & facta coma illis; quoniam nihil sublunare perpetuum, ipsa per lōgam obseruationem Aegyptiorum remanet semper in eadem quantitate, scilicet longitudine, & latitudine, & figura, & colore.

Aliud argumentū.

Confirmatio argumentorū p Ammonium.

Aliud argumentū.

Ad hæc omnia argumenta, quę insolubilia uidentur, & demonstrabilia dicimus, quod omnia superius ab aduersarijs dicta, propter duo accidunt. Primò, propter maximā uastitatem: secundo propter maximam distantiam. Nam sicut elementum Aqueum, & Oceanum scimus, quod in par-

Solutio supradictorū argumentorum p vnicā definitionem exemplo approbatam.

partibus meridionalibus propter maximam caliditatem multi vapores conuertuntur in aerem, in septentrionalibus contra aer conuertitur in aquam. & tamen non comprehenditur a sensu talis diminutio maris. hoc autem accidit propter suam maximam vastitatem, quæ a sensu percipi non potest. Sic etiam dicimus de circulo lacteo, quod propter suam uastitatem nulla videtur mutatio: quamuis in parte continuo mutetur. quoniam attractio est circularis, quoniam sicut semper secundum partem attrahitur exhalatio sic etiam secundum partem resoluitur, & sicut attrahitur, sic etiam resoluitur. Vnde quando Suessanus dicit, quod lac ipsum ex parte agentis est perpetuum, quia virtus ipsarum stellarum, quę sunt in sporadeo circulo, est semper perpetua, æqualis, & æquipotens. & sic facit, ut lac sit semper vnum numero, saltem per æquiualentiam, ut Marc. Ex parte vero exhalationum, quæ continuo generantur & corrumpuntur & de nouo semper prioribus corruptis, aliæ in locum priorum accedunt, lac continuo est aliud, & aliud, licet sit perpetuum, secundum speciem, ut Marc. Videmus enim oculis stellas esse tot, & tales, ut merito existimare homo posſit perpetuo, & semper lac illud conseruare. & sic licet ex parte materiæ lac sit corruptibile, ex parte agentium causarum erit perpetuum. hæc Suessanus. Dico, quod quamuis lac constituerit ex exhalatione, & perpetuitatem attribuerit agentibus stellis: tamen quia fecit stellas illas lumen emittentes, & exhalationem illud lumen reflectentem, non asignans causam, quare non percipitur perpetuitas lactei circuli, scilicet propter vastitatem, & distantiam, quia remota est a sensibus nostris: ideo tanquam diminutus reprehendi debet, & tanquam ignarus naturæ Galaxiæ reijcitur. Circulus igitur lacteus, secundum mentem Aristotelis, & ueritatis, non permanet continue in eadem dispositione, secundum omnes sui partes, ut ait Auer. arguens contra Alex. quia non permanet in eadem dispositione, nisi secundum totum, & non secundum partes. Vnde, quamuis dicat Aristo. contra

Applicatio exempli ad circulum lacteum.

Reprehéditur Suessanus.

Reijcitur Auer.

Antiquos,

Antiquos, quod iste circulus lacteus semper permanet: & deinde quod fit de natura elementari, non implicat contradictionem, secundum distinctionem supradictam, quæ perpetuitas, vt diximus nō potest percipi. Quod animaduertens Arist. cum voluit loqui de stella Crinita, & de Galaxia, habet in principio capituli hæc verba, & quoniam censemus quæ sensu minus aperta sunt; ratione commodum satis probata, atque demonstrata esse, cum illa rerum euentui consentiant; ex ijs certè, quæ circum crinitas, & reliqua huiusmodi apparent, statues easdem quoque ipsas, ita potissimum confici. Volens dicere, quod ea, quæ sensu minus aperta sunt: idest quæ propter suam uastitatem percipi a sensu non possunt, & propter suam distantiam sunt remota ab ipsis, de ijs satis erit ratione discurrere. & iam per rationem probata, & demonstrata erunt, si illa consentient rerum euentui: idest naturæ illarum rerum, quæ tractantur. Volens innuere, quod si de Crinita, & Galaxia non aliquid, secundum sensum trademus, quod satis erit probatum, & demonstratum ratione, si quæ de ipsa dicit, consentient naturæ suæ. quoniam, cū propter vastitatem, & distantiam suam de ipsis, secundū sensum non possumus aliquid tradere, ideò quantum ratio suadet, & naturæ eiusdem rei conuenit, de ipsis sermonem habebimus. Vnde quando Olymp. dicit ipse super illis verbis. *Namq; rationi consentaneum uidetur*, quod Aristo. dubiè, & ambiguè loquitur. neque enim dixit necessariū, sed magis rationi consentaneū videtur. nam sibi non placet hęc uera esse, quæ nunc de lacteo circulo disputantur. Dico, quod non intelligit modum loquendi Aristotelis, similem verbis iam supradictis. Volens inferre, quod cū Galaxia nō sit de illis rebus, quæ sub sensu cadunt propter prædictas causas, quod ideo ratione de ipsis pertractandū est, non autem sensu, cum talis exhalatio sensu percipi non potest. Et sic quamuis Olymp. in expositione illorum uerborum, dicat, quod Arist. proponit legem obseruandā a philosopho naturali, quam accepit a Platone, in inue-

Qūo circulus lacteus scđm Ari. sit permanens, & ēt de natura elementari.

Confirmatio omniū supradictorum p verba Ari. posita in tex. i principio capituli.

Reijcitur Olympio. circa expositionē verborū Ari.

D niendis

tatio: in Galaxia verò duo adſunt, vaſtitas, & diſtantia. & hoc eſt ad ſimilitudinem fluminis, quod propter paruitatem in ipſo percipitur mutatio: quia a ſenſibus percurri poteſt, & uideri: in mari autem non, quia tantam uaſtitatem ſenſus percurrere non poteſt. Cum ergo Galaxia ſit tam vaſta, ut totum orbem cingat: ideò in ipſa mutatio uideri non poteſt. quia noſtri ſenſus hucuſque pertingere non poſſunt. nec hoc eſt, quia ſtella crinita & Galaxia cõſtent ex diuerſa materia; & ſic propter cauſas prędictas, quamuis ex Solis, & Lunæ mutationibus ad auſtrum, & ad ſeptentriones magna ſit in aère mutatio: tamen in Galaxia non uidetur mutatio. Iterum aliquis diceret, quare cum ſint multa ſydera ſplendidiſsima, potentiſsima tamẽ hoc in loco ſolum uidetur Galaxia, quare aliæ ſtellæ non attrahunt, & non fit alia Galaxia, ſi ex exhalatione conſiſtit, non uidetur conſentaneum, quod ſtellæ illæ tantum in parte illa inflammẽt vaporem illum, & exhalationem attrahentes, non autem aliæ ſtellę, cum ſint etiam ipſæ potentes & ſplendidiſsimæ. Ad hoc dico, quod hoc procedit ex virtute attractiua & ui agenti: quia ſyderum aut ſunt imbecilliora, aut potentiora. ſi potentiora attrahentia exhalationem ex potentia ſua taliter inflammabunt exhalationem, quod ad ignem reducet, & conſumabitur. ſi imbecilliora, non erunt tãti valoris, ut poſsint inflammare exhalationem, cum maxima ſit diſtantia inter cœlum, & terram. & hoc non ſufficit, ſed requiritur uirtus attractiua determinata. In hoc loco ſydera nec imbecilliora ſunt, nec potentiora; ideò attrahunt; & hoc etiam determinate, quia habent naturam determinatam attrahendi. Ideò Ariſtoteles quærens cur in loco ſignorum non uideretur talis Galaxia, nec circa Solem, aut Lunam, nec intra circulos ſolſtitiales, ſed benè extra eoſdem, ad hoc reddit rationem, quod hoc fit, quia exhalationes, ex quibus ſunt cometæ, & Galaxia tanquam ex materia, quæ ibi attrahuntur, propter maximum motum diſijciuntur, & corrũpuntur; ubi autem uidetur Galaxia, quia ibi eſt virtus attra-

Exemplũ quod rñſioni applicatur.

Aliud argumentũ contrariũ.

Reſponſio ad argumẽtum.

Quare in loco ſignorũ, nec circa Solem, Lunã, & intra circulos ſolſtitiales ñ apparet Galaxia.

ctiua determinata,& extra maximum motum,ideo appa-
ret. Non ergo acceptandi sunt Iuniores, dicentes esse Ga-
laxiam partem cœli,quæ in raritate,& densitate varia,ac
difformis est, probantes per exemplum a nube, a macula
lunę,& a cęteris stellis nebulosis,quia per rationes supra-
dictas,iam omnes,qui aduersus Aristo. fuerunt, conuicti
sunt,& maxime per obseruationem veterum astronomo-
rum:quia hic circulus non inuenitur obseruatus,& sic nō
uidetur esse res cœlica. & quamuis Auer. dicat,omne in-
trasmutabile,quod circulariter mouetur, est cęlicum,vel
cœlicum quicquam,hæc est perpetuum, & circulariter fer-
tur,ergo cœlum vel cœlicum quicquam. conceditur ma-
ior,& minor in hac parte, quod sit perpetuum,secundum
totum,non secundum partem,sicut elementa. Item dicūt
aduersarij. Quomodo possibile est,quod Galaxia fiat ex
exhalatione; nam si hoc uerum esset, cum sit maior ipsa
terra ex tanta attractione,totam terram,aquam,& aerem
consumpsisset,& omnia iam corrupta essent. Præterea,di-
cit Auer. si iste circulus lacteus,esset de natura illius exha-
lationis calidæ,& siccæ: tunc sequeretur, quod ea pars ter-
ræ subiecta huic circulo,erit inhabitabilis, propter nimiā
caliditatem multæ exhalationis calidæ, & siccæ ignitæ in
suprema regione aeris: quia corrumperet humiditatem
requisitam illius regionis,neque in ea regione possent ge-
nerari pluuię,propter caliditatem illius regionis,& illius
exhalationis consumentis sui caliditate, & siccitate hu-
miditatem,ex qua deberet pluuia generari. ergo ibi non
esset possibilis habitatio, cuius tamen oppositum vide-
mus: quia ibi est habitatio,ergo relinquitur, dicit Auerr.
quod opinio Alexandri,imò Aristo. sit falsa. Ad hæc re-
spondendum est, quod obliti sunt de determinata attra-
ctione ipsarum stellarum,& Aristotelis verborum,qui in
lib. de generatione, taxat illos, qui volebant generationē
fieri per rectum. & hoc,quia sequebatur, si hoc modo fie-
ret,quod cito consumeretur,nec perpetua esset; ideo con-
cludit in circulum prodere; & sicut continuo ex aqua ge-
neratur

Reijcitur oppositio Iuniorū de Galaxia.

Responsio ad argumētū Auer. q Galaxia n sit pars cœlica.

Argumētū in contrarium.

Aliud argumētum Auer.

Responsio ad argumēta cū Ari.

neratur aer, ſic ex aere aqua, vt uiciſsim omnia comeant; ſic ad propoſitum dico, quod, quãuis continuo attrahant, tamen attracta mutantur, & in aliud conuertuntur; & iterum illa attrahuntur, ut diximus ſuperius, & ſic per uiciſsitudinem perſiſtit duratio; nec propter hoc ſequuntur inconuenientia ſupradictorum, quæ omnia a ſenſu non percipiuntur, vt dixi, propter diſtantiam, & vaſtitatem. Et quamuis ab Alb. Alemano, & a Proclo, in expoſitione ſua arabica obſeruatum eſt, quod iſte circulus mouetur ab ortu in occaſum in centum annis vno gradu, poſito & non conceſſo, non inferendum eſt propter hoc, quod ſit de natura cœleſti, & octauæ ſpheræ, quia hoc præſenti rationi nullum incommodum affert: quia hoc ex parte agentis, & illarum ſtellarum, quæ attrahunt, & non ex parte materiæ, accedit. Præterea, cum dicunt, ſi iſte circulus lacteus eſſet paſsio aeris, impoſsibile eſſet, quod ſimul, & ſemel appareret in omnibus partibus terræ: quia nulla paſsio elementaris poteſt apparere ſimul, & ſemel cuilibet parti terræ, quod patet de cometis. ſed apparet in omnibus partibus, ergo non eſt de natura elementari. Dico, quod maior eſſet uera, ſi eſſet paſsio unius aſtri; ſed eſt paſsio plurium ſtellarum, & magni circuli, qui circundat totam terram, & ideo in omni parte mundi. Et ſi dicunt, adhuc ſi circulus lacteus eſſet infra lunam, ergo tunc eſſet diuerſitas aſpectus: quia in omni re, quæ uidetur infra lunã cauſatur diuerſitas aſpectus, cuius oppoſitum patet, ut dicit Auer. ergo non eſt paſsio elementaris. Dico, quod eſt diuerſitas; ſed propter cauſas ſupradictas percipi non poteſt. Si ergo per dicta Ariſtotelis, ab ipſo antequam de Galaxia tractare inciperet propoſita, & per noſtras diſtinctiones æque bene poſſumus ſecundum veritatem ſaluare opinionem ſuam, quare tot argumentis, tot cauillationibus, & tot opinionibus mentes hominum confundere, veritatem obtenebrare, literam textus deprauare, & philoſophum ſummum deniq; calumniare? Multa etiam ab aduerſariis adducta in medium afferre poteramus, ſed quoniam

[Margin notes: Reiicitur Alb. & Proclus. — Reſponſio ad aliud argm̃. — Reſponſio ad aliud argm̃. — Concluſio ſupradictorum.]

niam per supradicta omnia argumenta corruunt, ideo ne nimis prolixiores essemus, sapientibus, & ueris philosophis cætera relinquemus, qui poterunt ad libitum suum, & ampliare, & restringere sermonem nostrum. Nos verò præter intentionem nostram in longum protraximus sermonem, ut facit etiam per sæpe Arist. propter multitudinem, & diuersitatem opinionum. De circulo igitur lacteo ad mentem Aristotelis, hæc dicta sufficiant.

FINIS.




V E N E T I I S.
Apud hæredes Iacobi Simbenij.
M D L X X V I I I.

ANTONII POLI VENETI,

Dilucidatio Veritatis, in Procemium Phisicorum Aristotelis.

A nullo vnquam Peripatetico Explicata.



CVM PRIVILEGIO.




VENETIIS,
Apud Simonem Galignanum de Karera.
M. D. LXXVIII.

ANTONII POLI VENETI.

Dilucidatio Veritatis, in Proœmium Physicorum Aristotelis.


A nullo unquam Peripatetico Explicata.



CVM PRIVILEGIO.




VENETIIS,
Apud Simonem Galignanum de Karera,
M. D. LXXVIII.



Ad Alexandrum Farnesium. S. R. E. Cardinalem,



Antonius Polus Venetus.



VI in scribendo Illustrissime ac Reuerẽdissime Princeps lucem alijs præbet, qui obscura, & ab alijs non amplius intellecta declarat,& qui denique clauem alicuius partis philosophiæ adinuenit, non temporis successione eius scripta senescunt, nec magistrorum falsitate negligũtur,sed semper,& in perpetuum durant.Et sicut talis, ueritatis inuentor,apud Sapientes appellatur;ita inter omnes alios meritò doctrina, atque ingenio semper excellit.

Ego communi utilitate motus, quæ in hunc usque diem ab alijs ignorata fuere, declarare ausus sum, vt cognita veritate, quam omnibus patefacio, videant Academiarum Magistri, Collegiorum Doctores, & tādem studiorum Lectores, qua cæcitate in uia Peripatetica ambulēt, & quàm falsò Aristotelis intentionem publicè doceant. Tu igitur omnis doctrinæ, omnisque disciplinæ fons, atque sapientissimus Iudex, hanc meam nouam in Prooemium Phisicorum Aristotelis expositionem hylari animo accipies, libenterque perleges: quæ si tibi cara erit, & ueritati consona uidebitur, certò scias, me in omnibus rebus arduis, ac difficillimis, te iubente, Deoque Opt. Max. fauente, idem aperire, ac declarare. Incipientes igitur dicimus, quod cum res naturales compositæ sint omnes, seu species accipiamus, seu causas, cum, ut inquit Auer. primo text. primi phis. præter materiam primam, & formam ultimam, omnes sint materiæ, & formæ compositæ, cumque ad perfectam ipsarum cognitionem necesse sit, ut per causas, principia, atque elementa illas cognoscamus. Si uerum est id, quod in lib. post. dictum fuit, quod tunc opinamur cognoscere vnumquodque, cum causas, & principia cognoscimus: ergo ut perfectè cognoscamus res naturales, necesse est procedere a principiis, causis, & usque ad elementa, hoc modo uidelicet, ut a materia cōmuni transeamus ad materiam elementorum, ad materiam mixtorum imperfectorum, ad materiam mixtorum perfectorum, ad materiam Vegetabilium, ad materiam brutorum, atque ad materiam hominis, & a forma in communi, ad formam elementorum, ad formam mixtorum imperfectorum, ad formam mixtorum perfectorum, ad formam Vegetabilium, ad formā brutorum, atq; ad formā hoīs. Ab efficiente communissimo ad cām effectiuam elemētorum, ad efficiēs mixtorū imperfectorū, ad efficiēs mixtorū perfectorū ad effiçiēs uegetabiliū, ad efficiens brutorū, atq; ad efficiēs hoīs. Hoc mō.n. intelligo ꝓcessū hūc a primis principiis usq; ad elemēta. i. usq; ad materias, & formas ꝓximis

atque

atque efficientes proximos specierum sensibilium, sicuti etiam optimè exposuit Auer. primum procemij de phisico auditu textum exponens, tametsi in sequentibus textibus mirum in modum hallucinatus fuerit, ut infra apparebit. Quare ex dictis tentandum est determinare prius de Principiis naturæ communissimis. Verum, cum principia ista occultissima sint, neque enim in numero eorum sunt, quæ sunt ex se fide digna secum ferentia omnis cognitionis initium, atque originem. Quod patet ex differenti, uariaque Philosophorum sententia, & opinione; Quorum quisque alia statuit principia, ut uidetur. Necessarium igitur est ea ratione, qua sunt occulta, ut aliquam uiam habeamus, quæ nos in ipsorum cognitionem manuducere possit, & præsertim cum ratione qua sunt prima, & quod supra ea non reperiuntur alia priora per alia principia cognosci non possint quam uiam deducendi nos in cognitionem principiorum incœpit tradere Aristoteles in 2. tex. proœ. usque ad tex. sextum; Sed adeò obscurè, vt nondum manifestum sit, quæ sit hæc uia, seu modus iste procedendi in cognitionem principiorum, quem pollicetur nobis in tertio tex. fore diuidendo confusa. Cum alii uelint per hæc confusa composita causata ab elementis cum suis accidentibus, ex quorum dissolutione deducamur in cognitionem primæ materiæ. Et fuit opinio Auerrois, Themistij, & Simplicij. Alij verò per hæc confusa voluerint multiplicem modum transmutationis, quæ medium sit ad deducendum nos in cognitionem primæ materiæ, & fuit opinio Marci Antonii Ianuæ. Alij uerò nullam viam voluerint in his quattuor textibus, sed eundem ordinem sequi Arist. crediderunt, quem etiam posuit in primo tex. non autem diuersum, ut crediderunt cœteri omnes, & Græci, & Arabes, & Moderni, & fuit opinio Sancti Thomæ. Nos uerò per hanc uiam, uiam diuisiuam esse volumus, quorum quidem omnium opiniones declarabimus, vt magis elucescat veritas opinionis nostræ.

Incipien-

pi. Auer. Incipientes ab Auerrois opinione, qui voluit Arist. in 2.3.& 4. tex. nobis significare duos modos prócedendi, alterum distinctum a naturæ notioribus non diuersum ab eo, quem posuit in primo tex. alterum verò, confusum a nobis notioribus tantum hoc modo, nidelicet, cum ait philosophus in 2. tex. innata est nobis via a notioribus nobis, sed confusà hoc est composita in 3. tex. sunt nobis notiora, ergo a compositis tanquam a confusis ad principia est incedendum. Iterum inquit Auerr. capiamus secundum tex. ut faciamus secundum processum, innata est nobis via a notioribus nobis, addit Auerr. sed principia sunt notiora nobis in cognitione scilicet distincta, ergo ab uniuersalibus in singularia oportet procedere, & est quartus textus. i. ergo ab uniuersalibus istis principijs est procedendum in singularia, idest in determinata principia, ut a materia in communi ad materiam mixtorum im perfectorum, ad materiam perfectorum, ad materiam uegetabilium, ad materiam animalium, & ad materiam ho minis, & sic intelligendo etiam de alijs principijs. Verum quod hæc opinio stare non possit, manifestum fiet ex uerbis ipsius Arist. in primo tex. in quo cum ponat ordinem doctrinæ, qua procedendum est in tota naturali philosophia, cognitione distincta ꝑ cum dicat, in omni scientia, in qua sunt principia, causæ, aut elementa, procedendum esse a principijs, causis, usque ad elementa; & concludat etiam in naturali philosophia ea ratione, qua est scientia, procedendum esse a primis principijs, usque ad elementa. Si modo philosophus hanc eandem conclusionem poneret in quarto tex. ut opinatur Auer. sequeretur in Arist. nu gatio expresſiſsima. Secunda ratio sumi potest ex verbis Arist. in secundo tex. in quo claram habemus hanc maiorem propositionem, quod innata est nobis uia a notioribus nobis tantum, non autem naturæ, cum seipsum declaret Aristo. dicens ex nobis notiorihus, naturæ autem immanifestioribus, stante modo intellectione huius maioris, hoc modo faciamus secundum processum, quem fa cit

Reiicitur Auer.

prima rō cótra Aue.

Secūda rō cótra Aue.

cit Auer. Profectò hoc modo tantum fieri poterit; non autem diuerso. Innata est nobis uia a notioribus nobis tantum. Sed principia, & causæ sunt notiores nobis tantum, de necessitate oportet minorem facere hoc modo, si debet stare sub illa maiori.

Modo hoc est falsum, quod scilicet principia, & causæ sint nobis tantum notiores, cum causæ sint notæ etiam ipsi naturæ. Tertia ratio sumitur ex quarto text. In quo Auer. uult Aristotelem ponere conclusionem ordinis doctrinæ distinctæ, quæ conclusio cum pendeat a prima propositione tradita in secundo text. tunc sequeretur, quod nos incipere deberemus ab his causis communissimis tanquàm notioribus nobis, quod falsum est, cum principia, & causę sint nota naturæ, non autem nobis. neque ualet, si respondere uellet, uerum esse, quod in primo processu procedimus a notioribus nobis tantum, in secundo autē processu a notioribus naturæ, & nobis simul, quia tunc cōclusio nihil haberet communionis cum maiori illa secundi text. quæ intelligitur de notioribus nobis tantum, ut diximus; & hoc cum Aristot. addat in secundo text. naturæ autem immanifestioribus. Tertia rō cōtra Auer.

Quarta ratio sumitur ex quinto text. Cum ex duobus exemplis ab Aristo. positis nullum possit accommodari secundo processui distincto. Non quidem exemplum de definitione, quia nomen est notius quoad nos tantū, nec exemplum de Pueris, cum illud arguat confusissimam cognitionem, non autem cognitionem distinctam. Sequitur, ut examinemus opinionem Sancti Thomæ, qui quidē ab omnibus diuersus uoluit Aristo. sequi eundem ordinem in sequentibus quatuor textibus, quem posuit in primo, hoc modo scilicet quod intentio Aristotelis sit procedere pro cognitione specierum naturalium a generibus ad species, & hoc quod opus sit antequàm habeam cognitionem aut Plantæ, aut animalis, aut alicuius mineralis, quæ sunt corpora, quod prius cognoscam hoc genus corpus, ut sit sensus in Arist. secundum S. Thomam. Quarta rō cōtra Aue. opi. s. Tho.

Inna-

Innata est nobis uia a notioribus nobis in secundo text. sed magis confusa in 3. tex. hoc est uniuersalisima ista genera sunt nobis notiora; quæ quidem appellantur confusa ratione, qua in se continent multas species, in quarto philosophus concludat ergo ab uniuersalibus istis. s. generibus in singularia oportet procedere, idest in cognitionem ipsarum specierum. Quæ quidem opinio non uidetur quadrare dictis Aristotelis, tum quia uidetur repugnare Arist. in tex. 5. quippe qui dicit, quod diuidentib. hæc confusa fiunt nota principia. Modo cum per S. Thomam ista confusa sint genera uniuersalia, & per hæc fiant notæ species, ergo per tex. Arist. species essent principia generum. Tum quia processus a genere vniuersali ad minus vniuersale vsque ad species est potius compositiuus, quàm diuersiuus. His igitur rationibus adeo fortibus, vt impossibile sit illis respondere motus Doctissimus Ianua voluit hoc proœmium alio modo esse intelligendum. Nempè quod proposito in primo tex. ordine doctrinę, qui est a principiis, causis, usque ad elementa, qui ordo intelligendus est cum cęteris exponentibus in processu totius naturalis philosophiæ. At quia principia hæc non sunt nota, nec quoad si est, nec quoad quid est, ideo in secundo tex. proponit philosophus uiam, qua mediante posimus deduci in cognitionem horum quæsitorum de principijs. Et inquit, Innata est nobis uia a notioribus nobis tantum in notiora naturæ in secundo tex. in tertio ponat philosophus quæ sint illa quæ habent nos deducere in huius cognitionem, & ait, sed magis confusa sunt nobis notiora, quàm si est exempli gratia, & quid est ipsius materiæ, ergo ab istis confusis tanquam nobis notioribus procedendum est in cognitionem horum quæsitorum de his principijs. Quæ quidem opinio, ut appareat magis uerisimilis, comprobatur cum Aristotelis progressu. Etenim cum ait Aristo. vsque ad tex. 57. primi phil. fieri transmutationem de contrario in contrarium, huiuscemodi transmutationes, inquit Ianua, sunt illa confusa, quæ deducunt nos in cognitionem

Reiicitur S. Tho.

opi. Marci ant. Ianuę.

Cófirmatio opi. suprdictæ.

gnitionem si est, & 2 57. vltra per alios modos transmutationum deducit nos in cognitionem quid est ipsius materiæ. Vt autem eius expositio veritati magis adhærere videatur, confirmatur hunc modum procedendi ab Aristotele seruatum fuisse non tantum pro cognitione ipsius materiæ, sed etiam pro cognitione omnium, quæ aguntur in lib. phys. Nam in secundo phys. agens de natura, non ago dicebat philosophus de si est naturæ, quia notum est, & agit de quid est naturæ. In tertio phys. dicit, non ago de si est motus, quia clarum est motum esse; sed inquit inuesti gemus sub quo genere sit, & definitionem suam inuestigat. In quarto lib. etiam agens de loco, inquirit prius si est de loco, postmodum inquit philosophus inquiremus quid est de loco. Idem de tempore. In octauo etiam phys. inquit si est primi motoris, deinde quid est quantum possibile est philosophus naturali. Ecce postea quàm bene quadrent huic nostræ expositioni, inquit Ianua, exempla ab Aristotele posita in quinto tex. Alterum de circulo, alterum de Pueris. Exemplum enim de circulo, est de confuso ducente ad cognitionem quid est. Exemplum autem de pueris, est de confuso ducente ad cognitionem si est. Verum hæc etiam opinio, licet quoad apparentiam, cœteris videatur esse melior, patitur tamen maximas difficultates quarum talis est, probans Arist. intentionem non esse de quæsitis illis, neque de illis confusis, quæ ab opinione ista ponuntur. Primo, quia sequeretur, quod medio confusorum inuestigaret solum si est, & quid est primæ materiæ non autem aliorum principiorum; quod si dicas, etiam duorum contrariorum si est, & quid est, inquisiuit; hoc nõ potest dici, quia Arist. ex consensu antiquorum accepit esse principia contraria, vnde cum philosophus in tex. dicat, quod diuidentibus nobis hæc confusa, fiunt nobis nota principia, atque elementa in numero plurali, non autem in singulari principium seu elementum; sequitur igitur, expositionem illam Arist. penitus esse non posse. Quod si respondeat, aduertas, quia si est inuestigat, & quid est si

Reiicitur opi. Ianuæ quia patit multos difficultates.

naturalis scientiæ, cum nobis occulta sint rerum natura lium principia rationibus experrecti, quodlibet eorum membrorum determinantes, ac reijcientes, ueniemus tādē in cognitionē determinati numeri principiorū, dicētes, qđ sunt tantū tria, nec plura, nec pauciora. Et tandē in eodē exēplo adhuc uersantes, ueniemus in cognitionē primæ materiæ, quæ est tāquàm mater. ut alibi inquit philos. ac primi motoris, qui est pater vniuersalis omnium rerum naturalium. Verùm, vt adhuc magis manifestentur falsitates aliarum opinionum, & magis dilucidetur veritas ex positionis nostrę, probo hāc viam hoc modo intellectam, deducendi nos in cognitionem principiorum, quadrare progressui, & dictis Ari. in omnibus, & per omnia. Etenim, posito corrollario in fine primi tex. vbi posuit ordinem in tota philosophia naturali, quod corrollarium tale fuit. Agendum esse principijs probata in primo tex. in secundo tex. posuit, quod licet ad cognoscenda hęc principia prima non possumus procedere per alia principia, cum principia prima non habeant supra se ex quibus probari possint; tamen inquit philosophus, natura in nobis dedit, atque inseruit quandam viam, quæ nobiscum est innata, vt procedamus ad cognitionem primorum principiorum. Hæc autem via originem trahit a quibusdam animi conceptionibus, quas auditas quilibet fatetur veras esse, vt est illud. Non contingit simul affirmare, & negare. Nam de necessitate si vera est affirmatio, falsa sequitur negatio, & e contra. Volentes igitur cognoscere quot sint hæc prima rerum naturalium principia, nulla alia datur nobis via, quæ nobis sit innata, quàm medio harum dignitatum, quæ luce sui fidem faciunt omnibus rebus dubitabilibus, quæ dignitates proferre videntur tanquam e sinu suo viam diuisiuam, qua vtimur ad inueniendas partes, ac principia constitutiua artium, & scientiarum, ob id Alexander, referente Simplicio primo phis. pag. 6. col. prima, pulcherrime dicebat Arist. in tex 6. a diuisione euidenti fecisse principium, & hunc modum procedendi per viam di

uisiuam esse viam illam, quam nobis pollicitus fuit Arist. in proę. cum dicebat ex manifestioribus ad immanifestiora principia profici sci oportere. Quod autem via hæc diuersiua inueniat principia ipsarum artium, ac scientiarum probatur sicut alibi fecimus exemplo Platonis in Philebo, qui volens reperire ortum grammaticæ, & ex quibus partibus constet, per viam diuisiuam hunc in modum processit. Incipiēs a diuisione vocis, vocis ait Pla. q̄dā absona, q̄dam consona. absona est inarticulata, & indistincta, vt Boum rugitus, & equorum hinnitus: consona verò, & articulata humana uox est. omissa absona, consonæ, inquit quædam simplex, quædam composita. simplex est, quæ diuidi non potest in partes actu, ut literæ A. B. C. composita quæ diuidi potest, vt Ba. quod diuiditur in B. & A. quæ sunt partes actu. Tunc vltra vocum consonarum compositarum quędam aliquid significant, quędam nihil vt Bef. Baf. aliquid ut nomen, verbū. Tunc vltra vocum aliquid significantium quædam significant substantiam, quædam quantitatem, quædam alia huiusmodi, & ista sunt nomina. quædam verò significant modum, tempus, actionem, & passionem, & hæc sunt verba. quædam verò circumscribunt has partes, & sunt reliquæ orationis partes vt præpositio, aduerbium, coniunctio, & huiusmodi. Ex qua diuisione apparet quomodo iam principia grammaticam constituentia facta sint nobis nota, abijciendo membra; quæ non faciunt ad propositum, & ea retinendo, quæ ad rem ipsam faciunt. Eodem præcisè modo Arist. volens reperire quot sint principia constituentia res ipsas naturales, hac via p̄cedit, sicuti pollicitus fuit in quatuor textibus proœmij, incipiens ac principium faciens a diuisione euidenti, quod quidem est illud, quod Arist. dixit ex manifestioribus ad immanifestiora principia proficisci oportere, vt etiam exposuit Alexander, qui a Simplicio intellectus nō fuit, nec ab aliquo alio, qui adhæc usque tempora scripserit. Dicēs philosophus. Necesse est itaque aut vnum esse principium, aut plura. ubi notandum ly, *itaque*. Nam est particula

decla-

declaratiua illius viæ, quam in procemio pollicitus fuit. Dicit itaque philosophus. Necesse est aut vnum esse principium, aut plura. quasi volens inferre, cum via hæc quam promisimus esse viam nobis innatam ad reperiendum numerum primorum principiorum constituentium res naturales sit via diuisiua, rationi consonum est, vt ab ipsa incipientes, & procedentes medio harum dignitatum, quas ponemus, hoc modo dicamus. Necesse est itaque aut vnum esse principium aut plura, idest non vnum, vt Ioan. Gramma. & Alex. exponunt. Capiamus, inquit philosophus, hoc membrum, quod dicit vnum, & ipsum examinemus, quia si rationibus apparebit non posse esse vnum, transibimus postmodum ad videndum vtrum sint plura vno; tametsi inquit philosophus in 8. isti, qui ponũt vnum principium, non sint digni, & reprobentur a philosopho naturali. Ratio est, ait philosophus, quia negant principia, cum negent motum. Secunda ratio est in tex. 9. quia dicunt paradoxa, idest præter omnium opinionem. Tertia ratio in x. quia sophisticè incedunt, tamen illos examinemus, sed prius, inquit philosophus in 11. subijciamus fundamentum in naturali philosophia, quod omnia, aut quædam a natura mouentur. At inquit philosophus in 12. Melius erit etiam, & hoc ne ipsis remaneat aliquis locus, quo possit subterfugere, vt induamus habitum methaphisici, cum sit artifex communissimus, qui prædicata communiora considerat, quæ reperiri possint, & in 13. supponamus, ait philos. hoc fundamentum, Ens multipliciter dici, de substantia, quanto, quali, & reliquis. Modo cum dicunt omnia esse vnum, aut intelligunt prædicata omnia esse vnum, aut hoc modo, quod dimissa substantia omnia sunt vnum. i. quod omnia sint accidentia, aut intelligunt, quod dimissis accidentibus, omnia sint substantia, si intelligunt, ait Philos. in 14. omnia prædicata esse vnum, falsum dicunt, quia substantia non est quantitas, neque possunt intelligere secundo modo, quod dimissa substantia omnia sint accidentia, fundamentum, ait philos. in 14. quia accidens alicui accidit. Præterea in 26. ait philos.

C Tu

Tu dicis, quod hoc tuum Ens, quod omnia comprehendit, est accidens, sed quicquid est præter hoc accidens est nihil per nos. ergo subiectum, cui accidens hoc accidit, erit nihil. si autem intelligant tertio modo, quod dimissis accidẽtibus; omnia sint vnum substantia, neque hoc modo dicere possunt, inquit phil. in 15. Et ratio est, quia substantia inquit est fundamentum accidentium. Præterea, inquit phil. in 27. Tu dicis, quod omnia sunt substantia, tunc peto, quod fiat hæc propositio, homo est albus, & per te quicquid est præter substantiam, est nihil; sed homo est albus, ergo homo est nihil. Amplius, ait philos. in 28. hoc tuum ens est substantia, ergo potest definiri, sed genus, & differẽtia, ex quibus constituitur definitio, vt animal, & bipes sũt duo vere entia, ergo plura sunt, non autem vnum. si autem dicas, quod animal, & bipes non sunt vere entia, sed accidẽtia. Tunc contra ait philos. in 29. vel enim sunt accidentia separabilia, uel inseparabilia. Non potes dicere, quod sint inseparabilia, quia cum sint in secundo modo dicendi per se, subiectum potius ponetur in definitione ipsorum, quã quod illa ponantur in definitione subiecti. Si autem dicas quod sunt accidentia separabilia, tunc sequeretur, quod homo possit esse sine suis partibus essentialibus, quod est impossibile. Quare iam patet non esse verum, quod dicitis, omnia esse vnum quocunque illorum trium modorum intelligendo vnum. Verum, quia vnum tribus aliis modis dicitur, inquit philos. vel vnum continuum, vel vnum indiuisibile, vel vnum, hoc est ratio una in 16. tex. ne restet vobis locus aliquis subterfugiendi, probo nullo etiam horum modorum, omnia posse esse vnum. & primo probo, quod non possint esse vnum continuum, quia si omnia ait philo. essent vnum continuè in 17. saltem in potentia essẽt plura, cum continuum sit diuisibile in infinitum. Neque secundo modo potest esse vnum, videlicet indiuisibile, quia inquit Philos. in 18. si esset unum indiuisibile, tunc non esset quantum, ergo nec finitum, nec infinitum, ut dicitis. Neque tertio modo potest esse unum, hoc est una ratio, seu vna definitio, quia inquit philos. in 19. Definitio

rio hominis competeret & asino,& omnibus.neque ualet, ait philos.in 20.& 21.istorum fuga,qui ut fugiant entium pluralitatem à propositionibus abijciunt copulam, nolentes,quod dicamus homo est albus, sed homo albatur. & non uident, quod etiam quod dicamus homo albatur, nō fugiunt omnino pluralitatem, quia ponunt duo, homo, & albatur, ex quibus omnibus hucusque dictis patet non posse esse vnum. Reliquum igitur est, cum non posit esse vnum ens quocunque modo accipiatur. vnum ex sex modis positis,quod plura sint. Si verum est principium illud, quod nunquam fallit,quod de quocunque dicitur affirmatio, uel negatio uera. In cuius virtute incedimus inuestigantes numerum principiorum. Cum igitur non sit vnum ergo erit non vnum,idest plura.conuertamur modo ad eos qui plura ponunt,qui cum bipartiti sint, quidam enim ponunt finita, quidam infinita, primo examinemus. vtrum possint esse infinita,ponentes prius istorum rationes, quibus moti dicunt esse infinita. Quarum prima talis est, inquit phil.in 33. Videntes enim,quod ex nihilo nihil fit, & in hoc conueniunt omnes,qui de natura loquuntur,intelligendo nihil fieri ex nihilo.i. ex penitus non ente, ergo quicquid fit necessario præerit. quo fit,dicebant isti, vt generatio aliud esse non posit,quam segregatio eorum quę præsunt.Secunda ratio istorum,ait philos. in 34. quia moti fuerunt ad ponendum principia infinita, talis fuit, quia si fiat contrarium ex contrario, vt calidum ex frigido. uel calidum prius fuit in frigido, vel non. Si non, ergo ex nihilo, quod est contra principium. si sic, ergo præerat,& sic per segregationem. Neque deterreatis, inquiunt isti, quod dicamus. Vnumquodque esse in vnoquoque, & tamen uideri aquam,& non alia v.g. quia hoc prouenit propter paruitatem partium, quæ ibi latent, ob id etiam denominatur magis aqua, quam aliud, propter partium multitudinem. Sed contra istos sunt fortissimæ rationes, ait philosoph. in 35. quia præter hanc rationem, quod infinitum secundum quod

C 2 infi-

infinitum est ignotum, cumque partes istæ, quæ latent in vnoquoque homiomeriæ seu similares, sint infinitæ, ergo erunt ignotæ. Addimus etiam, inquit philos. in text. 50. quattuor alias rationes. prima quia infinita non sciũtur. Secunda, quia in vnoquoque genere est una prima contrarietas, substantia est vnum genus quoddam, ergo in substantia est vna quædam contrarietas, ad quam cœteræ omnes habent reduci. Tertia ratio, quia melius est ex principiis finitis facere, quàm ex infinitis, cum æquè bene saluetur generatio. Quarta ratio, quia non solum debet dici principia esse infinita, immò quod nec omnia cõtraria, quæ sunt finita, possunt esse principia, quia ea quę continentur ab alijs, non sunt principia, sed ea solum prima, quæ alia continent omnia contrariorum. Amplius, ait philos. In 36. Petendum est ab ipsis, cum dicunt, In vnoquoq; esse partes infinitæ similares, vtrum intelligant de partibus essentialibus, aut de potentialibus, aut de partibus integrantibus. Non possunt intelligere primo modo, quia cum dicant carnem fieri ex præexistenti carne, caro cum sit quid compositum, non potest esse pars essentialis. Nec secundum de potentialibus, quia volunt has partes similares infinitas actu latitare, ergo coacti sunt intelligere de partibus quantitatiuis integralibus. contra modo has partes integrales, sic arguitur, inquit philos. Totum sequitur naturam partium, sed totum non est infinitum, ergo nec partes.

Præterea, inquit philosoph. in 37. est, & alia ratio probans, quod non sit vnumquodque in vnoquoque, quia si continuò a carne segregatur aqua, pars carnis remanens fiet minor, ergo uel procedemus in infinitum diminuendo, & hoc non, quia impossibile est per partes actuales fieri decrementum in infinitum, vel deueniemus ad partem minimam, qua parte minima cum sit alia minor, ergo daretur minus minimo. Si autem dicant non esse minus, sed æquale, contrà, quia vel stabit segregatio, uel non stabit. Si sta bit, ergo non erit amplius quodque in vnoquo-

que

que,quia non erit amplius aqua, exempli gratia quæ segregari possit. si autem non stabit, sequetur, quod in hac carne finita erunt infinitæ partes æquales numero, quod sensui repugnat. Adde, inquit Philos. in 38. suppono duo fundamenta, primum, quod per ablationem partium semper corpus redditur minus: secundum, quod carnis est determinata quantitas in magnitudine, & paruitate. ergo inquit philos. sequitur, quod ex minima carne nullum segregatur corpus, vnum est solum ait philos. in 39. quod bene dixit Anaxagoras, cum dixit, omnia simul esse, licet hoc quoque nescius dixerit & a casu, nisi intelligatur eo modo, quo nos infinita declarabimus. Adde, inquit philos. in 48. quod & si possemus concedere quandoque generationem fieri per viam similarium partium, vt generatio magni luti ex pluribus lutestis, negādum tamen est, quod generatio semper fiat per viam similarium partium. Quo fit, inquit phil. in 41. & cum hucusque manifestum sit principia non posse esse vnum, sed plura, & inter plura quod non possunt esse infinita, sequitur ex vi illius primi principij non contingit simul affirmare, & negare. quo mediante proposuimus nobis viam manifestandi numerum principiorum, quod de necessitate principia sint finita. Quo fit, inquit philosoph. quod maximè laudandi sunt ij, qui ponunt principia finita, sed magis adhuc laude sunt digni, cum præter finitatem ponant etiam ipsa esse contraria, & in ponendo ipsa esse contraria, omnes conueniunt, licet, ait philos. in 49. inter se differant, quod aliqui ponunt contraria secundum sensum, alij contraria secundum intellectum. In hoc tamen conueniunt omnes, quod tam illi, qui dicunt contraria secundum sensum, vt calidum, & frigidum, omnia contraria reducunt ad hæc sua contraria communissima ad calidum, & frigidum, pariter qui litem, & amicitiam omnia contraria ad ista reducebant. Quod ratione factum fuisse probamus, inquit Philos. in 42. Ratio, quia verè, & iustè ea pro principijs sunt statuenda, quæ non fiunt ex aliis, neque ex alterutris,

 sed

sed omnia fiunt ex ipsis. Huiusmodi sunt prima contraria. igitur prima contraria de necessitate erunt prima principia, sed præter rationem adductam. patet etiam inductione, inquit philos. quia quomodocunque statuamus fieri generationem, seu fiat compositione, seu ordine, seu compositione, & ordine, omnia tandem fiunt ex contrariis; benè verum est, inquit philos. in 52. quod sunt aliquæ rationes, quæ credulitatem facere possent, quod principia non sint contraria. Prima est, quia contraria sunt in subiecto, si modo principia essent contraria, igitur principia essent in subiecto, ergo subiectum præcederet principia, quod esse non potest. sequitur igitur, principia non posse esse contraria, cum si ponantur contraria rõne contrarietatis, supponant aliud primum. Præterea est, & alia ratio, quia subiectum est illud, quod propriè principium dicitur quia est illud ex quo fiunt omnia; contraria aũt non possunt esse subiectum, quia nullum contrarium potest subiici reliquo, ergo contrarium non potest esse Principiũ. Tertia ratio, quia substantia non contraria substantiæ, igitur principia substantiæ non possunt esse contraria; sed ex quo ponis principia esse contraria, ergo essent accidẽtia; cum autem ex accidentibus impossibile sit fieri substantiam, sequitur igitur nullo pacto principia esse posse contraria, & tamen tum ex consensu antiquorum, tum ex rõnibus probatum iam sit, principia esse contraria, & etiam non esse contraria; sequitur inquit philos. in 53. Cum vtrũque istorum verum esse non possit, videlicet & quod principia sint contraria, & quod principia non sint contraria, nisi deponamus aliquod tertium principium, quod de necessitate dabitur vnum tertium principium, quod non erit contrarium, sed solum erit susceptibile contrariorum, & hoc modo vtrunque illorum verificabitur; tum quod principia sint contraria respicientes formam, & priuationem, tum etiam non esse contraria respicientes formam, & materiam, seu priuationem etiam, & materiam. Quo fit, inquit phil. vt illi, qui posuerunt hoc subiectum magis

a con-

a contrarietate remotum, quod fuerint etiã rõnabiliores quemadmodum fuerunt illi, inquit phil. in 54. qui mediũ posuere inter ignem, & aerem. Habito igitur hucusquã quod principia non sunt vnum, sed plura; & quod si plure sunt quod non sunt infinita sed finita; & quod si sunt finita, quod non possunt esse vnum cum sint cõtraria, neqꝫ possunt esse duo rõnib. dicendis inferius, quia, vt probabimus, licet materia semper reperiatur cum altero contrariorum, quod est priuatio inter se, tamẽ distinguuntur, inquit phil. in 57. ut ostendemus. Rõnabile igitur videtur, cum nullum horum posit esse, quod tria tantum sint. Iam enim patet in aliquo alio numero esse non posse trib. pauciori. Vnum igitur tantum remanet videre, quod impediret posset hanc nostram euidentem diuisionem. Vtrum. s. possint esse plura trib. quod si probabimus non posse esse plura tribus, iam manifestatum erit id, quod in proœmio polliciti sumus in text. 3. quod diuidentib. hæc fient nota principia, atqꝫ elementa, quia iam erimus deducti ad hoc vt cogamur credere principia tria duntaxat esse, nec plura, nec pauciora; quod igitur non possint esse plura tribus ex hoc manifestum fiet, inquit phil. in 56. Qm̃ si essent plura trib. vel essent plura subiecta, & plures contrarietates, vel plura subiecta, & vna contrarietas, vel e contra vnum subiectum, & plures contrarietates, vel vnum subiectum, & vna contrarietas, pluribꝫ modis non possumus imaginari esse his quattuor. sed si sic est, quod tria mẽbra sunt impossibilia, ergo verum erit quartum membrum, quod. s. sit vnum subiectum, & vna contrarietas, & consequenter, quod solum tria sint principia rerum naturalium, nec plura, nec pauciora. Rõ aũt, quã destruuntur tria prima membra, talis est: vel. n. hoc subiectum secundum potest quicquid põt primum, vel non; si sic, ergo alterum illorum est frustra, si non, ergo non est cõe omnib. reb. naturalib. cum non possit quicquid põt aliud. Modo intentio est de communissimis principiis, quæ in natura reperiri possunt, eodem modo dicatur de contrarietatib. Nam secunda contrarietas

trarietas vel pōt quicquid pōt prima, vel non; si sic, ergo altera illarum est superflua; si non, ergo non est cōis reb. omnib. naturalib. quod est contra propositum nostrum; cum intentio nostra sit reperire principia, quæ sint communia reb. quibusque naturalibus. Igitur rei veritas est, quod datur solum vna prima cōtrarietas, & vnum solum subiectum. Secūda rō, quia in vnoquoque genere est vna prima contrarietas, & sicuti omnia genera reducuntur ad substantiam, ita oēs contrarietates, intelligendo ēt de primis contrarietatib. aliorum generum reducuntur ad contrarietatem primi generis in substantia, quæ cum vnica solum sit, ergo solum erit vnica cōtrarietas pro principiis statuēda. Vnde sequitur, quod tria solum erunt principia rerum naturalium nec plura, nec pauciora, quod propositum erat a nobis initio cognoscere. ex quib. omnib. apparet, q̄uo data a nobis procemii expositio progressui Arist. optimè quadret, manifestamque fecimus viam illā, quæ inter contextus Aristo. latebat, cum membra omnia, quæ hinc inde erant dispersa, a nobis in vnum collecta fuerint. Vnde clare possumus veritatem modi procedendi Arist. super cognitionem principiorum tanquàm corpus quoddam vnum integrum intueri. Quam quidem uiā ab Arist. non solum in libris phis. sed ēt, & in sequentib. libris obseruatam fuisse ostendemus. Cum eadem methodo procedat in lib. de Anima, vt abunde demonstrauimus, & in lib. de cœlo, & in lib. de generatione, & denique in omni, & tota sua philosophia, & tamē nec Græci, nec Arabes, nec Latini per spacium duorum millium annorum, & plus, hoc quod nos declarauimus, aduertcrūt. Omnia enim in Aristo. ponderant, omnia declarant, omnia exponunt, ac considerant, præter methodum, & ordinem suum, sine quibus impossibile est scire intentionem suam, & si modo de istis aliqua verba faciunt hoc a casu fit, & potius est ipsa negligere, quàm intelligere. Si igitur in omnib. 8. li. phis. procedit methodo diuisiua in inueniendis reb. definitiua in explicandis, & demonstratiua in demonstrandis effecti

bus

bus rerum per suas causas, quomodo si nullus de his mentionem facit, poterit libros istos rectè intelligere? Ideò benè dictum fuit ab Aristo. referente Græco illo, quod libri phis. erant æditi apud sapiētes, & non æditi apud ignaros. Quid de vltimis expositorib. dicemus, & præcipuè de doctissimo Francisco Toleto societatis Iesu? qui ab omnib. tanquàm oraculum philosophiæ habetur, & admiratur? & hoc, quoniam in dicendo ornatus, & gratus est, & in recitando suam & aliorum opiniones breuis, ac facilis, tamen in tot suis compositionibus, vigiliis, atque laborib. non potuit, pace sua dixerim, nec ordinem Arist. nec eius methodum attingere super quib. fundata est tota eius philosophia. Vnde hac de cā simul cum aliis hic, & alibi demonstrauimus in opiniones ab Arist. multum diuersas, & longinquas incidisse, & quasi totam suam mentem, ac philosophiam peruertisse. Loquitur bene de viis, quib. hoīes per se sciam inuenere in ca. 4. vbi de ortu seu inuentione philosophiæ sermonem hēt, tamen non valet demonstrare quæ uiæ & quales sint necessariæ & scientificæ, & quot numero sint, cum habeant numerum determinatum. nec ostendit, quod nec plures, nec pauciores esse possint. nec sciuit damnare viam similitudinis, separationis, & proportionis, cum tales non sint methodi, nec veræ viæ, qm̄ in cōfuso ducunt hoīes in cognitionem inuentionis rerum, & denique quæ erant bonæ, & necessariæ nesciuit applicare proœmio Arist. sicut nos fecimus, imò in tex. 4. primi phi. ponens expōnem ly, vniuersalis & ly, confusi, dicit, quod aliud per vniuersalia, & aliud per cōfusa intelligendū est. Vnde nō videns quid per hæc intelligat Aristo. dicit, hæc expō sine dubio est admodū cōueniens, quāuis, & reliquæ sint probabiles, & bonæ. Veritas āt rei non requirit doctissime uir expōnem admodum conuenientem, sed certam, & scientificam, impossibilemque aliter se habentem, qm̄ multis expō aliqua conueniens videri poterit, tñ erit falsa. Præterea veritas philosophica cum vna tm̄ sit, non patitur plures expōnes, quare si tua quæ a te appellatur conueniens,

niens, esset vera, aliæ essent falsæ, & sic super fluum dicitu a te & falsò alias esse probabiles, & bonas. Vnde sic alloquuntur expositores, qm̄ non aduertunt aliorum intentionem, & dubitando semper, philosophorum dicta exponunt, & propter hoc quod magis sibi consonum, & apparens videtur, proferunt. Nonne admodum leue est, quod, tex. 5. in exemplo de Pueris dicit idem Toletus, Aduertendum pueros vocare oēs viros patres potius phantasia quā vsu intellectus, ecce qūo non valens applicare hęc verba intentioni, & proposito Arist. obscura facit illa exempla, quæ pro manifestatione omnium suorum dictorum, & pro confirmatione suę veritatis philosophus posuit? Deinde statim ponit qōnem quintam, an vniuersalia, sint nobis notiora singularib. & qōnem sextam, an eadem sint nota nobis, & natura. Qūo quæso pōt iste doctissimus vir qōnare, si terminos qōnis non habet? qūo quæso hoc dilucidare poterit, si non attingit quid per vniuersalia, & singularia, & quid per nota nobis & naturæ philos. hoc in loco intelligat? Vnde ambulans de errore in errorem, qm̄ non attingit methodum ca. postea 2. in breuem quendam Epilogū sine ordine, & methodo redigit opiniones antiquorum, quod etiam fecerunt infiniti alii, & tamen ostendimus superius, quod miro artificio, & per vim methodi propositæ omnes illas reiicit Aristo. atque damnat, laudando eos, qui rectè in aliqua parte dixerunt. In tales, & similes errores incidunt omnes, qui artem scribendi, & veram logicam non attingunt, & nostro tempore sunt quasi oēs. Cum igitur de tali arte Arist. per practicam alibi diffusius tractauerimus, hæc tantum dicta sufficient, quæ si a studiosissimis Lectoribus considerata fuerunt, librorum phi si. Arist. & totius eius philosophiæ idæam inspicient: vnde facilè per ipsam aditum ad omnes alias artes, & scientias habere poterunt.

FINIS.

Errata ſic corrigenda.

Pag. 4.	lin. 36.	proximis.	leg.	proximas
pag. 8.	lin. 15.	diuerſiuus.	leg.	diuiſiuus.
pag. 9.	lin. 16.	philoſophus.	leg.	philoſopho.
pag. 13.	lin. 27.	etiam.	leg.	&c.
pag. 15.	lin. 16.	eſſe principiis probata.	leg.	eſſe de principiis per probata.
pag. 16.	lin. 4.	diuerſiua.	leg.	diuiſiua